

L.Aemilius Paulus consul cum in Macedoniam non sine aliqua spe pervenisset, apud milites talem orationem habuit:“ Dixit mihi quidam esse in exercitu aliquos, qui consulant, quid agendum sit. Aliqui milites imperatorem solum exercitui providere nescire videntur. Si quis a me in consilium advocatus erit, mihi suadere debebit; si qui miles de bello gerendo se iudicare posse existimat, errat. Nemo nisi imperator, si quid agendum est, decernere debet; nulla, quae ad bellum gerendum pertinet, res insciente imperatore facienda est.” Qua oratione habita omnium mentes mutatae sunt; neque erat quisquam, quin se omnia imperata facturum esse sine ulla cunctatione confirmaret. Et dabat operam quisque, ne quid in eo imperator reprehendere posset.

#### Hannibal und Scipio (Pronominaladjektive)

Scipionem magno cum exercitu sine ullo periculo in Africam traiecisse apud Livium legimus. Carthaginenses, ut de Scipionis adventu certiores facti sunt, metu territi Hannibalem, cui soli salutem suam committere vellent, revocaverunt. Is reversus, quem iam puerum se semper inimicum populi Romani fore iuravisse scimus, ad proeliandum paratus cum toto exercitu Zamam contendit, dum Romani circum Carthaginem versantur.

Uterque dux armis decertandum esse arbitrabatur. Utrique autem incertum erat, utrius ducis milites meliores essent. Alter enim admiratione alterius affectus metuebat, ne res alteri exercitui feliciter eveniret. Neque quisquam victoriam suam futuram esse pro certo ponebat. In castris utrisque milites alii alia de causa pugnam postulabant; omnes belli peritissimi cupidi erant, ut scirent, utra urbs, Roma an Carthago, gentibus iura daret.

Livius- Livius, röm. Historiker

Scipio, Scipionis- Scipio, röm.Feldherr, dem es nach vielen röm. Niederlagen gelingt, die Karthager zu besiegen

Zama, ae- Zama; Schlachtort in Nordafrika ( 202 v.Chr.)